

Alois Hergouth:

### SENTENTIA I.

En certo perstat in hoc: bonus est homo sane! —  
(donec nimirum nil facit ipse mali.)

### PLANE ITA EST

Succumbunt hiemi pulcherrima gramina laeta,  
Torpebunt nivibus cuncta vigentia mox.  
Et nostri crines nivei fient aliquando,  
Si non tempus ad id calvities fuerit.

### AVIUM MORES

Sunt volucres parvae iucundae tam nitidaeque,  
Aethere si celso caeruleoque volant.  
Sed tamen exonerant ventres in asse fenestrae  
Eius, qui victus his avibus tribuit.

### SUO ARBITRIO

In mundo, scis, non in solo pane homo vivit,  
Dixit vir tardus ut pietatis amans. —  
In patera fragrans infudit tum sibi vinum  
Ac panes tostos edit et ova simul.

### RATIO

Hic, ubi finitur ratio, dein, scito, fidéi  
Principium est, pro quo sit decus usque Deo,  
Sic, ut, quae non percipimus, quae sunt vaga nobis,  
Haec tamen exponi perspicue valeant.

### EPILOGUS

Converti mundus debét, est nempe globosus;  
Ex motu rerum gaudia sunt animo:  
Ipsus ni sol occideret rursus, foret haud par,  
Surgeret út oriens item iterum atque iterum.